Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tionem in hoc malum nobis esset semel recidendum. Ideo enim Christus est passus, ut nos ex 19
hoc malo seculo liberaret, ne iterum nos huius seculi temptamenta subruerent,
et obesset renasci, si renasceremur ad culpam. Et resurrectionis quoque rationem.
et temporis tenemus rationem, quia in omnibus sensibus eque nata respondet. Nec in sola ho-
minum successione degenerat tempus, quia omnia in fine anni generantur. Mun-
di tempora annus unus est. Et quid mirum si annus unus est, quando dies una est? Una enim
die dominus operarios conduxit, ad vineam dicens: Quid hic statis tota die ociosi?
Cause originum semina sunt. Semen est corpus humanum, gentium doctor as-
serit. Est ergo substantia resurgendi, quando est series seminandi. Quod si
substantia aut causa non esset, arduum quisque putaret deo, ut vellet vel
quomodo vellet homines regenerare, qui mundum ex nulla materia, nulla
substantia esse iussit et factus est. Celum aspice, terram intuere, unde stellarum
ignes? unde non orbis solis et radius, globus lune? unde montium vertices, dura saxorum,
nemorosa silvarum? Unde vel diffusus aer, vel infuse aque? Sed si hec omnia deus
fecit ex nichilo. Ipse enim dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Cur
miremur renasci posse quod fuerit, cum videamus natum esse quod non fuit? Illud
mirum quod cum resurrectionem non credant, tamen ne genus pereat hominum, cle-
mentia quadam benignitate prospiciunt, et ideo transire ac demigrare in corpora
dicunt animas, ne mundus intereat. Sed quid sit difficilius ipsi asserant, transire
animas, an redire sua repetentes, an nova querere. Sed illi dubitent qui non di-
dicerunt. Nos vero legimus legem, prophetas, apostolos, evangelium: dubitare fas
non est. Quis nostrum dubitet cum legit: Et in tempore illo salvabitur omnis plebs tua que scrip-
ta est in libro, et multi dormientium in terre fossu una aptione exurgent,
hii in vitam eternam, et hii in obprobrium et confusionem perpetuam, et intelligentes splen-
debunt ut splendor firmamenti, et ex iustis multi sicut stelle in secula. Be-
ne itaque dormientium dixit quiete, ut intelligas mortem non esse perpetuam, que
somni vice interim ad tempus et ad tempus excluditur. Melioremque perfectum vite
eius ostendit que futura post mortem est, quam eius que ante mortem merore ac do-
lore transfigitur. Si quidem illa stellis comparatur, hec erumpne addicitur.
Nam quod illa contexam, que alio loco scripta sunt: Suscitabis me et confitebor
tibi. Etiam illud quod sanctus Iob vite istius expertus iniurias, et adversa omnia